

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0178

0176

0182

0172

0187

0167

0227

0127

0277

0077

0677

167

Sunt vero globi isti semper de foeda materia, sive de sterco-
ribus alicujus animalis. Saepe substiti in via, ut viderem
crabrones per viam globos in duplo se majores mirabiliter
trudentes, quod in nostris partibus non vidi, quamvis multi
per vias in equorum sterco-ribus crescant. Sic ergo contigit
in facto meo, quod crabro invento schwibulo ipsum rotundum
fecit et calceo meo induxit et hospitium meum habere voluit.
De post saepe dixi dominis peregrinis totum factum, et turba-
tionem et suspicionem meam.

Eusebius, L. III. c. 2. et L. 5. c. 12. de praeparatione
evangelica, nominat crabrum scarabaeum, de quo antiqui
Aegyptii dicebant, quod esset animal rerum divinarum inductis
abominabile, sed doctis summe venerabile, cum sit animata
solis effigies, et in omni individuo virilem sexum habet, et
spermate in sterco infuso pila exinde confecta pedibus invol-
vit, veluti sol coelum et mensem lunarem exspectat. Ut etiam
patet part. II. fol. 137 B.

De regionibus, quas vidimus in montibus Engaddi.

Redeundo ad propositum, a quo digressus sum, cum
noctem in clivo montis Engaddi egissemus, ut dixi, orto sole
consequenter adscendimus in altum montium, in eminenti autem
ad quendam locum venimus, in quo plures cumulos lapidum
comportatos reperimus, quos faciunt Sarraceni in honorem
Moysis, cujus causa statim patebit. In illo ergo loco substi-
timus, ut regionem contempleremur, quia in alto eramus, et
longe lateque poteramus regiones videre eis Jordanem et trans
Jordanem, ultra mare mortuum et citra illud, et quasi totam
Sodomam: genera ejus, regiones et loca, quae vidimus, hic
brevis sermone volo describere, sicut et partem descripsi in
monte Quarentinae fol. 210 B.

Primo ergo conjecimus oculos contra orientem et vidimus
montana Arabiae, intra quae praeceminet mons Trimouius, qui
in inferioribus dicitur Abyrim, in medio Nebo, in vertice
vero vocatur Phasca. In hunc montem jussit Dominus
Moysen ascendere, ut inde contempleretur terram sanctam, in
quam intrare non poterat, ut habetur Deut. 34. Sub isto

Ende

Anfang